Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput X.

urn:nbn:de:bsz:31-108661

Visual Library

nem tam sanctum à te non exaudiri, totq́ʒ eius sancta opera frustrari.
Jam mi Deus ecce Jesus Christus filius tuus, salvator meus omnia opera sua et quidquid boni egit à primo instanti conceptionis in Matris utero usqʒ ad obitum in cruce mihi dedit suaqʒ merita mea fecit, dicente Apostolo: proprio filio suo non pepercit Deus: sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Tot ergò ieiunia, orationes, labores, et lacrymæ Christi Jesu modò mea sunt. Tot verbera, tot flagra, tot vulnera Christi mea nunc sunt merita; et quomodò poterit filius tantorum meritorum perire? quomodò non inveniet gratiam coram oculis tuis ô amantissime Deus? Ego itaqʒ ô piissime Deus tot pretiosa merita Domini mei Jesu Christi pro peccatis meis tibi offero hisce quasi veste nuptiali ornatus nunc coram te comparere volo. Et quomodo nunc mori formidarem, cùm tibi ô Pater misericordiarū infinitum meritorum thesaurum offerre valeā? Ergo suscipe me Domine secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab expectatione meā.

Caput X

Protestatio, oblatio, ac Resignatio in extremis facienda ac sæpius iteranda.

Ego N.N. moriturus peccator indignissimus, redemptus pretiosissimô sanguine Domini nostri Jesu Christi protestor coram Deo omnipotenti, et totā curiā cœlesti me credere omnia, quæcun-

qd credit ac tenet Sancta Mater Ecclesia catholica
in cuius gremiô tanquam verus et genuinus fi-
lius mori desidero, et in eâ salutem meam con-
sequi spero. Agnosco scelera mea multa, et mag-
na nimis: non tamen diffido de omnipotenti,
et benignissimâ misericordiâ ipsius Redemp-
toris mei, memor ineffabilis eius charitatis, quæ
eum tam indigna, tam atrocia, ipsumqꝫ crucis
tormentum mei causâ sustinere coëgit. ô! si
eum semper amassem! ô! si ei semper fidelis
fuissem, pœnitet, ach! pœnitet me tam pium
Dominum, qui solus omne bonum est, unquā
offendisse. Utinam possem torrente lacrymarū
abolere tot iniustissimas Deo meo illatas iniurias!
suspiro gemens cum Davide, et utinam eodem cor-
de, et affectu, peccavi Domino. Detestor quid-
quid divinis eius oculis displicet. Quod si vel
impugnatione Diaboli, vel violentia morbi
pressus, vel quocunqꝫ modô aliquid huic propo-
sito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem,
iam illud revoco, ac protestor coram Jesu meô cru-
cifixô, me nullô modô consentire talibus cogitatio-
nibus, verbis, aut operibus, obsecrans divinam
eius bonitatem, ne noceant animæ meæ.
Amplector ergo in spiritu beatissimam crucē
Salvatoris mei: exosculor rosea, ac suavissima
eius vulnera, in quæ, et in ipsum mellifluum
cor Jesu mei, in profundissimum illud pelagus
immensæ misericordiæ me cum omnibus peccatis,
iniustitiis, et negligentiis meis quomodocunqꝫ fac-
tis proiicio, et immergo, humillimè supplicans, ut
suô pretiosô sanguine, universa peccata mea
delere dignetur, cuius bonitati et misericordiæ

me penitùs committo. Offero autem pro peccatis meis æterno Patri dilectissimi unigeniti sui sanctissimam passionem, crucem, mortem, in cuius meritis infinitis, nec non in precibus B. V. Mariæ Matris eius, ac Sanctorum, Electorumq̃ Dei, pauper et inops ego peccator in omni humilitate confido, et iis totus innitor, et immori concupisco omni tempore, et momento.

Ad Summam Dei gloriam offero etiam meipsũ, velut hostiam vivam Domino Deo meo ad perferendam iuxtà Sanctissimam eius voluntatẽ patienter, et ex verô amore, omnem languoris accerbitatem, atq; ipsam mortem, et quidmihi Dominus Deus meus in tempore et æternitate immittere voluerit. itaq; ex purâ ac verâ dilectione cum perfectâ mei resignatione ad omnem pœnam pro honore divinæ iustitiæ tolerandã animô spontaneô me offero. Fiat Sanctissima voluntas Domini Dei mei Salvatoris in tempore et æternitate. Ignosco etiam, et dimitto ex totô corde omnibus inimicis meis, iisq; universis, qui me afflixerunt, odiô habuerunt, aut quomodocunq; nocuerunt, vel nocere voluerunt. Utinam omnibus morte meâ perfectam ac stabilem Dei amicitiam conciliare, eorumq; salutem æternam perficere possem.

Caput XI.

Commemoratio, et oblatio passionis Christi ad impetrandam peccatorum veniam.

S. Franciscus in extremis positus historiam Christi patientis ex Evangelio sibi præ=